

formam præscriptam, et permittendi, ut, grassantibus epidemicis vel contagiosis morbis, prædicti fideles eandem indulgentiam lucrari possint Christi Crucifixi imaginem, vel crucem ad hoc benedictam, osculando.

13^o Retinendi ac legendi damnatorum auctorum libros prohibitos contra religionem ex professo tractantes, ad effectum eos impugnandi, quos tamen diligenter custodiat ne ad aliorum manus perveniant.

14^o Erigendi pium exercitium Viæ Crucis in locis suæ jurisdictioni spirituali subjectis, dummodo non adsint Franciscæ, cum applicatione omnium indulgentiarum, quæ hujusmodi exercitium peragentibus a Summis Pontificibus impertitæ sunt et applicandi easdem indulgentias Christi Crucifixi imaginibus et crucibus quibusdam in casibus prudentia et judicio episcopi seligendis.

15^o Ut in actu visitationis parochiarum et missionum, et etiam communitatum tam sæcularium quam regularium lucrari possint episcopus et ejus coadjutor, necnon totus clerus ac Christi fideles omnes, indulgentiam plenariam pro una vice tantum in qualibet parochia seu missione aut districtu, dummodo ii, qui presbyteri sunt, celebrent S. missæ sacrificium, et alii contriti, confessi ac sacra communione refecti pias ad Deum preces fuderint pro S. Fidei propagatione, et juxta mentem Sanctitatis Suæ.

16^o Benedicendi ad quinquennium per se vel per coadjutorem, vicarios generales necnon presbyteros in Diocesi laborantes, coronas precatorias, cruces seu sacra numismata, eisque applicandi indulgentias etiam Divæ Birgittæ nuncupatas.

17^o Permittendi ad quinquennium ut sylvicolis ad fidem conversis et aliis fidelibus apud illos degentibus licite, valideque confirmationis sacramentum administrare possit unus ex missionariis in quamcumque regionem longe ab episcopo dissitam missis, servata instructione.